Surgeon General's Office
LIBRARY.
Rare Gen 04
Section, Gen
No. 46501

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS,

DE

SITIS IN FEBRIBUS CAUSIS ET REMEDIIS.

QUAM,

Sub Moderamine Viri admodum Reverendi

GULIELMI SMITH, S. T. P.

COLLEGII et ACADEMIAE PHILADELPHIENSIS PRAEFECTI,

Ex PERILLUSTRIUM CURATORUM Auctoritate,

NEC NON

Amplissimae Collegii et Academiae FACULTATIS decreto,

DEO TER OPTIMO MAXIMO ANNUENTE,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

Eruditorum examini subjectam sustinuit

JONATHAN ELMER, M. B.

NOVO-CAESARIENSIS.

Ad diem 28 Junii, hora locoque solitis.

46501

Aggrediar, non tam perficiendi spe, quam, experiendi voluntate.

CICERO.

PHILADELPHIAE,

Apud HENRICUM MILLER.

M DCC LXXI.

VIRO PERILLUSTRI

D. BENJAMINO FRANKLIN,

ARMIGERO,

L. L. D. R. S. S. Societatis Americanae Philoſophicae PRAESIDI, et inclytae noſtrae Provinciae NEO-CAESAREAE in Aula Britannica PROCURATORI honoratiſſimo:

VIROQUE PRAECELLENTISSIMO

GULIELMO FRANKLIN,

ARMIGERO,

PROVINCIAE SUPRADICTAE GUBERNATORI DIGNISSIMO;

HASCE SUAS, IN RE MEDICA PRIMITIAS,
ANIMI GRATI ET REVERENTIAE PERPETUAE,
MONUMENTUM AC PIGNUS,
HUMILLIME
DEDICAT CONSECRATQUE,

JONATHAN ELMER.



DE SITIS in FEBRIBUS CAUSIS et REMEDIIS.

1. QUONIAM febres, ſecundum *Hippocratem* (a), omnium morborum ſunt frequentiſſimi, quibus miſeri mortales affliguntur, et ſitis, in omnibus febribus, plerumque ſe ſociam praebet: *hujus moleſti ſymptomatis cauſas indagare, et illius mitigandi remedia efficaciſſima indicare*, hujuſce diſſertationis argumentum ineptum non judicetur; praeſertim, quum nemo adhuc, quantum novi, hanc rem ex profeſſo tractaverit (b).

(a) De flatibus cap. 3, vide etiam *Boerhavii* aph. 558.

(b) *Van Swieten* inter febris alia ſymptomata de eo breviter fuit commentatus.

2. In corpore ſano cauſas ſitis omnes perſcrutari, nimis temporis impenderet. Satis eſt dicere. Propter fluidorum ex renibus, cute aliisque emunctoriis, perpetuam eliminationem diſſipationemque necnon eorum indolem innatam acria fieri, quando in corpore diu manſerint: imbibere copiam ſufficientem non ſolum ad conſervandam aptam humorum fluiditatem, ſed quoque ad acria eluenda omnino eſt neceſſarium. Quamobrem naturae noſtrae *ſapientiſſimus Auctor* quandam ſenſationem, omnibus cognitam, ſitis nomine appellatam, nobis inſevit, quandocumque humorum ſtatus, fluidorum, ad amiſſa recuperanda et acria abluenda, ſuppeditationem poſtulat.

3. Quamdiu attamen valetudine fruimur, et omnes corporis functiones aequabiliter pergunt, ſupplementum neceſſarium eſt moderatum, atque ſitis ſenſatio, vel bibendi cupido, nec ſaepe, nec fortiter urget; ſed quum functiones turbantur, et circulatio ſanguinis ab aliqua cauſa augetur, in tantum, ut febrem efficiat, hoc ſymptoma, moleſtiſſimum fit, vixque remediis ullis compeſcendum. In hac re igitur, imprimis neceſſarium erit quaerere, quaenam ſint cauſae, et quinam in corpore humano febris effectus, unde hujus praeterſolitae ſitis accuratam cauſarum cognitionem forſan adipiſcemur, nec non ex aliqua parte, ſitim

ſedandi

ſedandi efficaciſſima remedia indicare poterimus.

4. Utrum ſanguinis lentor febrium ſit cauſa proxima, ut *Boerhavio* (c) placet, an nervoſi et vaſcularis ſyſtematis ſpaſmodica affectio, ex opinione *Hoffmanni* (d), vel cordis auctus ſtimulus, ab aliqua acrimonia ſecundum ſagaciſſimi *Doctoris Whytt* (e) theoriam, non noſtrum eſt componere. Attamen, me judice, harum nulla in omnibus febrium generibus obtinet. Etenim, quamvis in febribus ardentis et inflammatorii generis *Boerhaviana* doctrina veriſimilior eſſe videatur, ob calorem magnum, pulſum plenum et validum, aeque ac ſanguinis denſitatem manifeſtam e venis emiſſi, nihilominus in intermittentibus et febribus lentis nervoſis, ſpaſmus atque acer humorum ſtatus cauſae probabilius eſſe videntur: et ardentiſſimi generis febres, ab acrimonia aliqua, in ſanguinem accepta, ut in variolis, morbillis, etc. ſaepenumero oriuntur.

5. In omnium febrium initio horripilationis eſt vel plus vel minus, quamvis aliquando adeo ſit exigua, ut ipſi aegroto non percipiatur; in hoc

(c) In aphoriſmis.
(d) Syſtem. rational. med. tom. 2.
(e) Tentamen de mot. vital. ac invol. paſſ.

 ſtatu,

ſtatu, minimorum vaſculorum ſpaſmodica conſtrictio, non ſolum cutis, ſed (ut infra patebit) etiam aliarum corporis partium locum habet, unde per illa circulatio libera impedietur, et in vaſis cordi proximis accumulabitur ſanguis, hinc anxietas magna, reſpiratio laborioſa, hoc tempore, praeſertim in intermittentibus, ſaepius obſervata. Citius ſeriusve frigus cedit caloris ſenſui, per totum corpus diffuſo, magis vel minus intenſo, quoad febris ſpeciem atque gradum, orto a cordis et magnorum vaſorum actione, ſpaſmum in minoribus vincente, ſic ut circulationem liberiorem, quam frigoris tempore, reddat. Sed hoc in febris ſtatu, ut cenſeo, plus minusve ſpaſmus vaſa conſtringit, praecipue in febribus inflammatoriis vel intermittentibus. Etenim validi tenſique pulſus, ardentis caloris atque ſiccitatis ratio reddi nulla poteſt, niſi fieri dixerimus ſpaſmodica conſtrictione vaſorum, qua ſanguinis, per arterias magnas, velocitas augetur, praeſertim cum aeger hora jam praeterita optime ſe habuerit, nec ullum aut plethorae aut lentoris adſuerit ſignum. Haec minimorum vaſorum conſtrictio, ut opinor, multas cauſas agnoſcit, videlicet, ex ſubito contracto frigore, ſanguinis acrimonia ultima vaſa ſtimulante, ſeu materia aliqua acri vel putrida, primis viis ſive aliis corporis partibus inhaerente, per ſympathiam ſyſtemati injuriam ferente. Hoc modo

do pleuritidis aliarumque febrium inflammatoriarum ſubitae invaſionis cauſam facilius elucidamus, quam fingendo, eas ex plethora et ſanguinis lentore, a perſpiratione ſuppreſſa, originem duxiſſe. Etſi enim conceſſum eſſet, hominem adultum, in ſtatu medio, uncias quadraginta aut quinquaginta nychthemero perſpirare, et hanc perſpirationem ex aliqua parte impediri poſſe, (nam in vivo numquam penitus ſuppreſſam eſſe *Sanctorius* probat) tamen corpora noſtra tanta ſapientia formantur, et inter emunctoria renum et cutis talis ineſt ſympathia atque connectio mutua, ut retentum perſpirabile per renes non eſſe excretum, raro accidat. Ne dicam, has febres interdum invadere, etiamſi perſpiratio non diminuta ſit, quod ex univerſali cutis humiditate, imo totius corporis ſudore patet.

6. Spaſmi partialis praedicta opinio, ab *Hoffmanno* diſſentiens ſolummodo in hoc, ut ille univerſalem ſpaſmum eſſe crediderit, (quod in tranſitu impoſſibile eſſe affirmo, in hoc enim rerum ſitu a cordis actione ſuppreſſa mors ſubita certiſſime ſequeretur) multo melius intermittentium phaenomena explicabit, quam quivis ſanguinis lentor, minima vaſcula obſtruens, donec febris violentia obſtructiones ſolvat; quoniam nulla cauſa poſſit aſſignari, cur, certis periodis, ſanguinis lentor

rediret:

rediret: et nemo inficias ibit, in intermittentibus diu durantibus, ſanguinis lentorem non modo omnino abeſſe, ſed etiam cruorem nimis tenuem et fluidum ſaepiſſime fieri.

7. Fluida non ſolum nimis compacta et ſpiſſa redduntur, illorum aucto motu, calore atque attritione mutua, quibus partes dilutae diſſipantur; ſed ob cauſas easdem acria fiunt et ad putredinem tendunt.

8. In febribus, nervoſi ſyſtematis irritabilitas augetur, functionum vitalium ac animalium perturbatione, ſanguinis acrimonia, debilitate totius corporis, praecipue vero nervorum, cum fibrarum tenſione magna, per fluidorum auctum calorem, motum atque attritionem. Hinc facile cognoſcimus, quamobrem febricitantes ex cauſa qualibet in tantum afficiantur, ut etiam cibus mitiſſimus, vel ſitus erectus diu continuatus, cordis actionem multum acceleret febrimque augeat.

9. Ex praedictis patet, ſitim febrilem ex aliqua, vel omnibus cauſis ſequentibus originem ducere:

(1) Ex vaſorum exhalantium oris, faucium, oeſophagi atque ventriculi, conſtrictione ſpaſmodica.

(2) Ex

(2) Ex ſanguinis fluidi nimia diſſipatione, quae reliquum viſcidum et non permeabile reddit.

(3) Ex ſanguinis acrimonia.

(4) Ex humorum putrefactione incepta, ſive alicujus putridi, ab intus vel extra, in ſanguinem abſorptione.

(5) Ex nervoſi ſyſtematis, vel *ſolidorum vivorum* irritabilitate aucta.

(6) Ex ſaburra acri putrida vel bilioſa in primis viis haerente.

De quibus ſingulis ordine dicendum eſt.

10. (1) *Ex vaſorum exhalantium, oris, faucium, oeſophagi atque ventriculi, conſtrictione ſpaſmodica.* Quod in febribus vaſa exhalantia oris, etc. certe conſtringantur, ab eorum ariditate immodica abunde patet; haec fluidis extremitates arteriarum exhalantium in has cavitates aperientium non pervadentibus a plerisque tribuitur. Sed hanc cauſam non ſemper locum habere, ex obſervationibus in aegrotis intermittente laborantibus palam fiet. Ipſe homo qui paulo ante bene ſe habuerit, paroxyſmi acceſſione repentina oris et oeſophagi ariditate corripitur, uſque dum profluat ſudor ac vaſorum conſtrictio relaxetur; tunc harum ſiccitas partium moleſta diſcedet, quo tempore illa ſiccitas maxima eſſet, ſi ex humorum lentore penderet; etenim partium fluidarum

majore

majore parte diſſipata, poſt ſudoris adventum, neceſſe eſt, ſanguinem viſcidiorem et irremeabilem magis fieri.

11. Siccitatem oris, linguae, gutturis, ſitis ſemper comitatur: hinc in intermittentibus, non ſolum in frigore febrili, ſed etiam in febris acme, donec ſpaſmus ſudoris eruptione mitigetur, ſiti perpetua, non ſedanda, aeger laborat, etiamſi ad ventriculi diſtentionem liquores ingurgitet. Idem in aliis febribus, etſi gradu minore, obſervatur; in continuis enim ante potius quam poſt criſin ſitis torquet, quamvis fluidorum e ſanguine, renibus et cute excretio, in fine morbi multum augeatur, ac febris continuatio ſanguinem viſcidiorem, quam antea, reddiderit.

12. Vaſorum conſtrictio igitur ſitis febrilis eſt cauſa frequentiſſima et potentiſſima, praeſertim in initio, quando ex maxima parte nulla alia exiſtit; quoniam acres, putridos vel ſpiſſos factos eſſe humores, augurari non liceat.

13. (2) *Ex ſanguinis fluidi nimia diſſipatione, quae reliquum viſcidum et non permeabile reddit.* Quomodo in febribus calor et motus corporis auctus tenuiora diſſipet, propter magnam ſanguinis volatilitatem, vaporis inſtar exhalantem, etiam in

venae-

venaesectione videndam, tametsi nulla adsit febris; perinde ac fluidorum auctam eliminationem, facile intelligitur. Hoc erit evidentius, si vera sit opinio praedicta § 5, perspirationem nempe, quam vulgo autumatur, rarius esse suppressam; quia, quo apertiora sint emunctoria, cutis praecipue, eo abundantior est excretio. Hic notare vellem, sitim & ariditatem cutis, oris, etc. in febrium initio, ab hac causa vix unquam oriri, sed a minimorum vasculorum constrictione, (uti supra memoravimus) donec, post aliquod tempus, calor febrilis et aucta circulatio fluidiora sanguinis dissipaverit, ac compactum et non permeabilem reddiderit: tunc procul dubio sitis fit urgens causa, tam reliqua massa acri facta, suis blandis partibus orbata, qua stimulatur corpus, quam fluidorum lentore os ac oesophagum arida reddente, libero sanguinis circulo per minima harum partium vasa impedito. Hinc videmus eos qui labore valido se exercent, & quorum cutis fluidorum sanguinis, e laxatis poris cutaneis, perpetua excretione, semper madet, ingenti siti urgeri; contra ignavos, otio sub umbra fruentes, minimum sitire.

14. (3) *Ex sanguinis acrimonia.* Sanorum sanguis semper est blandus et acrimoniae expers, gutta enim oculo instillata nullam molestiam ad-

fert; ſi vero partes excrementitiae in ſyſtemate nimis diu ſint retentae, vel calor ac motus multum augeantur, ſeu partes blandae diſſipentur nimis, ſic ut in omnibus febribus accidit, plus minusve alcaleſcentis acrimoniae contrahit. Particulae acres ab aëre ſanguinem intrent, ut in febribus contagioſis, peſte, variolis, morbillis, etc. contingit; vel ſimul cum ingeſtis ſumantur, velut venenorum aſſumtio. Et forſan acrimonia acida aut oleoſa in ſanguinem aliquando viam inveniat.

15. Sed acrimonia in ſanguine locum habens, qualiscunque ſit, ſyſtema, praeſertim oris etc. vaſcula minima ſtimulando, ſitim ſemper parit: quod ſapienter praecavetur, blanda et aquoſa fluida copia ſufficiente ingerendo, ad acrimoniam diluendam, obtundendam eliminandamque. Si acrimonia ſit ſalina, utrum acida, alcalina vel muriatica, quae aquae facile ſe commiſcet et in ea diſſolvitur, ob hanc cauſam largis poculis e ſyſtemate cito eluitur. At oleoſa ob minorem attractionem cum fluidis aquoſis, diutius obſtat atque tardius expellitur: hinc lardum comedentes per longum tempus ſitiunt.

16. (4) *Ex humorum putrefactione incepta, ſive alicujus putridi ab intus vel extra in ſanguinem abſorptione.* Humores in corpore ſponte putridi fiunt,

fiunt, quod fervido coelo, cibo putrescenti utentibus ac inedia laborantibus ferme accidit. Putrescunt etiam, quum particulae putridae, in aere volitantes, ingeruntur fermenti modo agentes, et sanguinis totam massam contaminantes; quod in tempestatibus calidis atque humidis, in locis palustribus, nec non nosocomiis et carceribus confertis saepe contingit. Fluidorum putridam diathesin gigni posse, pure ex abcessu in quavis corporis parte absorpto, febribus hecticis et tabibus inde sequentibus cognoscitur; etiam quibusdam venenis e. g. ex viperae et aliorum venenatorum morsibus.*

17. Calor febrilis ad putredinem humores multum vergere facit, ut spiritu foetido, faecibus putridis solutis, nausea ac vomitu eos adeo frequenter comitantibus, certe probatur. Cur humorum putrefactio sitim efficiat, a putridorum stimulo, vasa exhalantia irritante, et forsan constringente, necnon a calore magno, putrefactionis processu excitato, plane apparet.

* Vide *Mead* de venenis.

Lucanus in poëmate *Pharsalia* appellato lib 9. narrat, Tyrrhenum vexilliferum a serpente *dipsade* morsum siti inexplebili correptum fuisse.

18. *(5) Ex nervosi systematis vel solidorum vivorum irritabilitate aucta.* Hoc, omnibus auctoribus mihi perlectis, fuit omissum. Quoniam sitis, stimulo quodam, illam sensationem efficiente, oritur; vel humiditatis, in ore, oesophago sive ventriculo, defectu, extremitates nervorum in hisce partibus defendere sufficientis, sive in ventriculo aut fluidis acrimonia aliqua; ideoque quo magis irritabile sit systema, eo magis eodem stimulo afficietur, et eo major erit sitis sensatio. Et quoniam febres sua natura corpus irritabilius reddere tendunt; haec causa, nullo modo omitti debet. Sitis absentia est omen malum, quia sensibilitatis defectum denotat, vel virium vitæ languore aut perditione. Sic *Hippocrates*, coacis praenotionibus affirmat, " sitis præter rationem soluta, " in acutis malum." (e)

19. (6) *Ex saburra acri putrida, vel biliosa in primis viis haerente.* Harum aliqua, hisce partibus deposita, sitim stimulo suo excitabit. Etenim si sanus cibum laute conditum, acria aromata, et similia comedat, siti frequenti urgebitur, per plures horas succedentes, donec dilutione copiosa, atque ventriculi actione, acrimonia obtundatur vel penitus perdatur. In febribus auctus calor, et ventri-

(e) N. 6, vid. etiam prorrhet. l. 1.

culi

culi functiones laesae, ingesta ad putredinem plus disponunt quam in sano, quae etiam ventriculi diminuta expellendi facultate longiorem retentionem efficiente, multum augetur.

20. Bilis redundantis acrimonia, praesertim si putrescere incepit, sitis fit urgens causa, usque dum expellatur vel adeo diluatur, ut acrimoniam perdat; fortasse hinc oriatur, quod choleris, colicis et febribus biliosis laborantes, tantam sitim patiantur; bilis enim acrimonia ventriculum vellicans sitim perpetuam efficit, eundem aeque stimulando, ac os et oesophagum sympathia afficiendo, nec non eorundem vasa exhalantia spasmodice constringendo. Hinc oris ariditas immodica, ac linguae squalor, quamvis febris mitior adsit.

21. In febribus, hae sunt sitis causae frequentissimae; et quo magis ingravescunt, eo plus sitis instabit. Sic aliquis systematis delicati, cujus humores ad cacochymiam acrem vel purulentam vergunt, febre correptus, sitim quoad febris intensionem plus percipiet quam arator robustus staminibus firmis gaudens, cujus fluida sint bonae indolis; quia prioris corpus multo est irritabilius, ideoque stimuli (quodcunque sitim excitat) ad susceptionem aptius, et ad purulentam diathesin fluida magis disponuntur. Hinc medicinae peritus,

non

non ſolum fluidorum ſtatum ac febris calorem, ſed etiam ſenſibilitatis et irritabilitatis gradum in omni aegroto cautiſſime penſitabit. Hinc etiam intelligimus, cur ſedantia et alia ſyſtematis ſenſibilitatem diminuentia, ſaepe in ſiti ſedanda ſint efficaciſſima.

22. Cauſis ſitis febrilis abſolutis; earum mitigandi modum aptiſſimum tradere pergo.

23. Curam eodem ordine, quo cauſas, methodus phyſica tractandam eſſe poſtulat; ſed quia cauſae praedictae plerumque ſunt complicatae; brevitatis gratia omnes generali medendi methodo complectar.

24. *Tolle cauſam, ceſſabit effectus*, in philoſophia aphoriſmus eſt celeberrimus et argumento noſtro aptiſſimus. Quandoquidem ſitis a febre ipſa, ut cauſa primaria, naſcitur, tolle febrim, tollitur ſitis; quodcunque igitur priori inſervit ad poſteriorem quoque conducet. Unde in febribus inflammatoriis, venaeſectio, etſi rei aliena videatur, vi antiſpaſtica pollens, ac febris violentiam moderans, in ſiti mitiganda omnium eſt efficaciſſima. Sed quoniam febrim vincere non ſemper poſſumus, medici eſt officium, ut ſitis febrilis

miti-

mitigationem omni modo tentet, cui ſequentia multum inſervient.

25. (a) *Aqua puriſſima.* Ut calor et aucta ſanguinis circulatio fluidiora diſſipat, aquoſa, quae ſanguinem blandum ac tenuem reddunt, ad ſitim ſedandam conducere eſt manifeſtum. Nihilominus *Aſclepiades*, et alii antiquorum multi, ſitim febrilem, aliter quam febris curatione, mitigandi omnes conatus vanos imo noxios eſſe affirmant. Sic in *Celſo* (f) legimus " De potione vero ingens " pugna eſt, eoque magis, quo major febris eſt. " Haec enim ſitim accendit et tum maxime " aquam exigit, cum illa periculoſiſſima eſt. Sed " docendus eſt aeger, ubi febris conquieverit, pro- " tinus ſitim quoque quieturam; longioremque " acceſſionem fore, ſi quod ei datum fuerit ali- " mentum; ita celerius eum deſinere ſitire qui " non bibit."

26. Sed in febribus curandis *Hippocrates* aliter ſenſit. Alimentum humidum febre laborantibus utiliſſimum eſſe, non ſolum affirmat; ſed aquoſorum uſum maxime laudat, ut in libro *De victu in acutis* eſt videre. Contra ſenis hujus venerandi auctoritatem, *Morton* et ſeculi praeteriti multi,

(f) Lib. iii. cap. 6.

modum

modum *Asclepiadeum* infeliciter introduxerunt, ac dum sudorifica calidissima exhibebant, potum omnem universaliter prohibuerunt, ne medicamentorum vis, aquosis commixta, diminueretur. Quam miseri febricitantes sic tractati necessario essent, abunde liquet.

27. Hic quaeratur utrum potus calidus vel frigidus, febricitantibus plus conveniat? Frigidum aegrotis exoptari, sed mala hinc oriri, omnibus notum est. Febres pleuriticae, peripneumonicae, et mors subita, incautos qui aestuantes gelida ingurgitarunt, saepe prostravit. Attamen gelidae aquae potus febricitantibus aliquando profuit. Sic in Commentariis Baronis *Van Swieten* (g) legimus, de servo febre ardenti correpto, qui frigidae aquae decem librarum haustu, duodecim horis, in totum febrem extinxit. Medicis talia frequenter acciderunt. Sed hinc aquam frigidam febricitantibus, recte dari inferre, aeque est absurdum ac carnem salitam, lardum et similia in victu acutorum laudare; quoniam passim horum usus contra medici praecepta, ex aegri desiderio magno, febrem expulit. Hoc monemur, et praeterea nihil, quod cum febricitantes gelidum potum multum efflagitant, omne aliud odio habentes, sint indulgendi. Sed

(g) *Shelhammer*, de genuina febres curandi methodo.

est

eſt medici prudentis parce ac ſaepius dare ut mala inde oritura praeveniantur.

28. Ex praedictis cognoſcitur, aquam calidam vel frigoris expertem, eſſe tutiſſimam. Sed etiam illius hauſtus largi ſunt vitandi. Etenim ſitientium ventriculus, qui pocula capaciora ingurgitant, adeo diſtenditur, ut orificia, vi convulſiva contrahantur, anxietatem magnam et alia mala efficiente; aut quantitate adeo irritatur, ut ad nauſeam ac vomitum excitetur. Sed potus parvis hauſtibus ſumptus, ſanguinem denſum ac non permeabilem diluit, fibras rigidas humectat et minimorum vaſorum conſtrictiones relaxat. Aqua tepeſcens toſto pane immerſo, optime datur. Meliſſae, ſalviae, hyſſopi infuſiones febricitantibus eſſe utiliſſimas quotidiana experientia ſatis probat, illorum tamen virtus praecipua, a fluido aquoſo pendet.

29. (*b*) *Potiones acidulatae.* In ſiti febrili ſedanda acida ſunt potentiſſima. Syſtematis mobilitatem diminuunt, vaſorum exhalantium oris, oeſophagi ac ventriculi conſtrictiones relaxant; nec non utilia ſunt ſalivae fluxum copioſum excitando, fluidorum putredinem corrigendo, et fermentationi obviam eundo. Si hauriantur dilutae, ſero ſanguinis ſeſe immiſcent, et inde diure-

ticae et diaphoreticae fiunt. Hordei ac aliorum farinaceorum decoctiones, vitrioli vel nitri dulcis ſpiritu acidulatae, in febribus bilioſis, variolis malignis, ſeu in ſanguinis putrida diatheſi, laudes ſummas merentur. Sed febribus pleuriticis, peripneumonicis, ac in quibus ſanguinis lentor phlogiſticus adeſt, acida vegetabilia, ut cremor tartari, acetum limonumque ſuccus eodem modo exhibita, ſunt aptiſſima, quia priora, qualitatibus ſuis adſtringentibus, magis quam poſteriora ſanguinem compactum reddunt. Sed an unquam interne ſumpta ſanguinem coagulent, jure quaeratur, quippe in vaſa lactea introitum qualitates adſtringentes prohibent, niſi ſint multum diluta; praecipua igitur eorum operatio a ventriculi actione pendet. In febribus quibusdam, ubi fluida aquoſa e renibus excernuntur, abſque ſanguinis commixtione febrili ardore inſpiſſati, acida, praeſertim vegetabilia, urinam proprii coloris atque quantitatis reddunt.

30. (*c*) *Liquores aceſcentes.* Hi in febribus minus ſunt utiles, quia ad fermentationem nimium tendunt; hinc eorum flatulentia, quae praecipue hyſtericis atque hypochondriacis malum ſaepiſſime adfert. Eandem ob cauſam cereviſia tenuis, niſi aetate matura, febricitantibus parce eſt indulgenda.

31. Vina

31. Vina acida purae aquae ſat magna copia diluta hujus claſſis ſunt optima, ac in languore virium vitae maxime ſunt utilia, vires aegroti reficiendo animumque exhilarando. Etenim hoc in ſtatu invenimus, parum vini, vel ſpirituum aquoſis additum, ſitim aqua ſola efficacius ſedare.

32. (*d*) *Fructus horaei.* Hi aciditate, atque qualitatibus refrigerantibus, ſitim febrilem multum mitigant. Plus minusve palatum exquiſite afficiunt, ſtimuloque ſalivae fluxum augent. Fructus acido-dulces *drupacei* et *ſenticoſi Linnaei*, (fragment. ord. nat.) ſunt acerbi, atque in ventriculo ad fermentationem proni, idcirco in febribus tam cavendi ſunt, quam liquores aceſcentes ſupradicti. Quando hos effectus non edunt, non ſolum ad ſitim ſedandam, ſed etiam humores putridos corrigendos multum conducunt. Eorum vero qualitates noxiae fiunt mitiores pinſendo, ſive torrendo, quo aër expellitur, et ad fermentationem excitandam minus apti redduntur fructus.

33. (*e*) *Sales neutri.* Tartarus vitriolatus, nitrum, et tartarus regeneratus, in aquoſis diluta, ad ſitim febrilem mitigandam, hujus claſſis ſunt efficaciſſima. Salviae aut meliſſae infuſiones, vel hordei aut avenae decoctiones, cum parvo nitri

et mellis commiſtae, in omnibus febribus, ardentis vel inflammatorii generis, potum ſalutiferum praebent, et *Boerhavio* aliisque rem medicam exercentibus ſummis cum laudibus efferuntur. Humorum enim inflammatorium lentorem ſolvendo, atque putrefactionem corrigendo, ſitim ac calorem febrilem maxime leniunt.

34. Sales alii neutri, easdem virtutes, etiamſi minore in gradu, poſſident. Tartarus vitriolatus poſt nitrum fortaſſe ſecundum locum tenere debet; ſed quia difficilius ſolvitur, rarius uſurpatur. In febribus putridis, tartarus vitriolatus et ſal Glauberi aliis neutris ſunt forſan praeferenda, ut qualitate adſtringente, ſanguinis fractam ſolutamque texturam corrigant, et aptam craſin, concretionemque reddant.

35. *(f) Anodyna, antiſpaſmodica et antiſeptica.* Ex conſideratione praedicti § 18 (5) de ſitis febrilis cauſis, quomodo anodyna ſitim ſedant facile intelligimus. Nervoſi enim ſyſtematis ſenſibilitatem diminuendo, ſenſationem moleſtam, ſitis ideam excitantem, extinguunt; nec non conſtrictiones vaſorum exhalantium oris &c. ſolvunt; quam ſitis febrilis cauſam eſſe potentem N. 10 antea fuit probatum. Sic, duplici modo, ad hoc moleſtum ſymptoma mitigandum plurimum conducunt.

ducunt. Attamen in omni febris ſtatu, praecipue inflammatorii generis, anodyna exhibere, nullo modo tutum eſſe, notatu eſt digniſſimum. Ni enim evacuantibus plethora diminuatur ac vaſorum tenſio ſolvatur, anodyna cujuſcunque ſint generis, vaſorum vim motricem debilitando, et ſic obſtructionem augendo, noxia fiunt. Verum poſtquam venaeſectione ac purgantibus, ſatis eſt evacuatum, experientia quotidiana anodynorum caute uſurpatorum, praecipue hora ſomni, bonos effectus abunde evincit; inde uti moleſta ſymptomata, ex vitalium ac animalium functionum perturbatione orta, ut plurimum amoveantur, febricitantis vires redintegrantur, et ſitis moleſta ſenſatio multum minuitur.

36. Antiſpaſmodica, poteſtate conſtrictiones ſolvendi praedita, hic quoque maxime ſunt utilia; praeſertim quae ſtimuli alicujus ſunt expertia, ut *ſal ſedativum*, *camphora*, *contrayerva et crocus*. Acriora enim ſtimulo ſuo, calorem et circulationem augent, itaque in omnibus febribus ſint noxia, niſi putridis et lentis nervoſis, in quibus, hujus generis medicamenta, ad animum excitandum atque deficientem circulationem augendam; et etiam ad morbi criſin felicem producendam, naturae conatus promovendo, valde ſint neceſſaria.

37. Anti-

37. Antiſeptica, ad fluidorum putreſcentem acrimoniam corrigendam adjuvant, ad quam, in omnibus febribus ob auctum calorem atque ſecretiones irregulares, majore vel minore gradu diſponuntur fluida. Praeterea, plurima antiſeptica, praeſertim ſalini et acidi generis, ſedativa et antiſpaſmodica ſunt, et idcirco in ſiti febrili ſedanda, uſurpantur commode.

38. *(g) Epithemata et enemata.* Horum priora a *Boerhavio* multum laudantur, ac in febribus inflammatoriis, quando calor eſt maximus et cutis aridiſſima, haud dubie multum valent; ſed quia, illorum uſus moleſtiam adfert, et niſi ſumma cum cautione uſurpata febricitantem frigori exponunt, ex frequentis repetitionis neceſſitate, et inde frigidi aëris ad corpus nudum admiſſione, praeſertim tempeſtatibus frigidis, quum hae febres frequentius graſſantur, minus boni, quam aliter expectaretur, adferunt. Pediluvia ſunt utiliſſima ac minimo cum labore efficienda, etiam in omnium febrium initio, variolarum etc. maxima emolumenta adferentia, praecipue quando delirium febrile adeſt, inferiorum artuum vaſa relaxando, ſanguinem illac determinando, et eundem a capite revellendo.

39. Ene-

39. Enemata, quae putridos humores febris fomitem efficientes, ex inteſtinis eluunt, ac viſcera fovent; nec non ſanguini, aquoſa, mediantibus vaſis lacteis, ſuppeditant; ad ſitim quoque febrilem ſedandam multum conferunt.

Si quid deſit operi, id ſupplet aetas.

QUINCTIL.

UNIVERSITY OF MICHIGAN
LIBRARIES